

884

EPITHALAMIA

Votiva & gratulatoria

in

Celebritatem festivitatis Nuptialis

CLARISS. AC DOCTISS. VIRI

Dn. DAVIDIS FROELI-

chii, Mathematici celeberrimi, ac per
Ungariam, & potissimas Germaniæ par-

tes Astronomi practici dexterrimi,

Polyhistoris & Philologi labo-

riosissimi.

cum

Leçtissima pudicissimaq; Virgine

IVDITHA,

PRUDENTIS AC HONORATI VIRI,

BARTHOLOMÆI BERTRAMI,

Senatoris Reip. Caismarcensis pri-

marii, ac Chymici solertissimi,

Filia.

Eidibus Quintilis, ANNO CIO IDC XXXV.

DEO favente obeundam, concinnata

ab

A M I C I S.

LEUTSCHOVIAE, 1635

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"
/314.ig.j./



Locitur in caelis inter VENVS
esse Planetas,
Terricolas inter dicitur esse VE-
NUS:

Utraq; format opus mirandâ saepè
figurâ,

Dum jucunda satis, dumq; secunda satis:
Utraq; Nocte suis gaudet Cultoribus; at nec
Illa Globum prohibet Luce, nec ista Jocû;
Eminus illa suis operatur Viribus, Ista
Cominus Effectu fructificante beat.
Si Jovis accessu (Magni mage Numine JOVÆ)
Utraq; Conjugio prosperiore, coit.
Astrigenam solùm Frœlichius hætenus urfit,
Terrigenæ contra parcus amator erat.
Sed placet, Hanc Illi nunc jungere! Nonné la-
borem

Impediet calæli? damnaq; nonné feret?
ST, dicam! Quævis subeunda vicariâ opellâ;
Cuiq; satis fiet sic; Sua quæq; dabit.
Perplacēt Astronomis, (certus loquor) Annua
penfa,
Cultori quando munera justa ferunt.

A 2

Quid

Quid fiet, calclo Res nunc tentanda recenti,
Si respondebit Munere deinde Suo?
Nam desperandum nihil est, quin cedat Eidem
Res bene, scrutari summa qui & ima potest.
Sic quoque Luna recens, utero crescente subinde,
Spem facit augmenti (ô Omnia dextra!)
bonam.

Adjuvet has operas, benedicat & omnibus Horis,
Servando Sponfos sancto in Amore, DEUS!

*Sequuntur Anagr. ex nomine Sponsæ 9, decimum
ex nomine Sponsi.*

- JUDITA. 1. AUDIIT hortatus Patrios, & Vota Rogantis,
2 Ac IT in obsequium DIVA Cupita novum.
3 ID VATI-Astrologo nova gaudia gignit & auget,
4 ID curas post est vivida VITA graves.
5 I quoque, Sponse! quia in dulces ea VADIT A-
mores,
6 ID VITA, quicquid non amat almus amor:
7 DA VITI (Vitis pia dicitur Uxor) id ipsum:
8 Ut post, DITAVI, dicere jure queas.
9 Hoc ITA volve DIU studium, fructumque ferenti
DAIVD. 10 Praxin continuam DA bene Daque; DIU!

Chronodist.

*Annum, Mensem, Diem & Sponsor. nomina
continens;*

Vespere ter q Vinto IVLI, IVDItha, DAVIDIS
Ornat toros hILarII.

*Johannes Serpilius Secundus,
Eccl. Caismarcen. P.*

De Ju-

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"
/314.ig.j./

ALIUD.

Qui cælum & terram capit arte, docetq; sagaci
 Ingenio, en tenerâ Virgine captus ovat,
 Ille diu calebs Frôlichius, ille librorum
 Helluo doctorum maximus, Artis amans;
 Atq; artis tantum; sed nunc partitus amorem, à
 Musarum ad Veneris fervida castra venit.
 Siccine; cui crebra est Veneris conjunctio in ore,
 Tandem & conjungi prolicit Astrologum?
 Scilicet hunc, quam quis multùm rem tractat, ab illa
 Infectum variis vidimus esse modis.
 Aspice tractantem fragrantis aromata mercis,
 Et locus; & tractans totus aroma sapit.
 Sit benè Frôlichio! qui jam tractabit amica
 Diversi generis pulpita; quando lubet.
 Sufficiat virtute procus; ductamq; puellam
 Sidere felici Matris honore beet.
 Cetera dona piis largè dabit ille maritis,
 Qui fœdus sanxit connubiale, DEUS.

Sponse, Juditha sua exhilarat præcordia gentis,
 Hostis Oloferni dum rapit ense caput:
 Sic tua sit Juditha potens panacea doloris,
 Quando melancholicum pectore vulnus habes.
 Suavibus excutiat virus lethale labellis:
 Qua nos fœmineum vincit in arte genus.

Euge! estote hilares HilarI ad sacra vota vocati,
 Non hilarem ducat sinistra lucerna domum.

Sponsi Affinis,
 Doctor Samuel Spilen-
 berger.

A 3

IRE

IRe falax fallaxq; genus, procul ire puellas,
 FROELICHIUS nuper jusserat Astronomus.
 Usq; adeo infensus Veneris fuit Ille sagittis,
 Atq; pharetrati deliciis pueri;
 Ut cū scrutari, quid signent astra per ortum,
 Quidvè per occasum, sola ea cura fuit.
 Cælibis hunc tandem pertæsum, Fama, cubilis,
 Quod ratus ante jugum, spontè subire refert;
 Fortè quòd exosam dulci sine Compare vitam
 Jam putat, & tristem quòd sine prole domum.
 Hæc tibi FROELICHI si mens est, optima mens est:
 Cælibe quid vita tristius esse potest?
 Conjuge quid fida jucundius? Ergò opus urge,
 Nec vagus in portu desere Nauta ratem.
 Aëra scrutatus, sulcare intende carinâ,
 Hacq; per ignotas ire redire vias;
 Pone metum: alatus Puer ille per invia quæq;
 Te ducet, vetitumq; Is tibi pandet iter.
 Ocellidæ gemini pontusq; polusq; filescant,
 Suave tuum faxint astraq; cuncta jugum.

Caspar. Cramer. Sen.
 Reip. Leuchov. Consular.

EN ut conveniunt, & in una mole morantur,
 Spagyricus solers, Astronomusque sagax!
 Tractat uterq; vagos semper fluxosque Planetas,
 Utriq; hos nosse est, maxima prosperitas.
 Inquirat solers Chymicus Lunæq; vigorem,
 Martis ope innectens vincula Mercurio:
 Errantes quòd si conjungit fœdere firmo,
 Tunc pro connubio, premia magna capis.

Astrilo-

" Régi nyomtatóványok, Lőcse, evang. :"
 /314.ig.j./

*Astrologus Solis spectat; Lunaq; labores;
Et quid in orbe facit, quisq; Planeta, suo:
Hinc tempestates caeli, influxusq; recenset,
Regnorum & Regum fata notanda canit.
Carpathus ut noster caput inter nubila condit,
Proximus est Luna, proximus atq; polo:
Proximus est DAVID sic & FRÖLICHIIUS astris,
Qua versat genii dexteritate sui;
In terris contra Soli, reliquisq; Planetis
Proximus o Bertram Bartholomae cluis.
Hos furno mersos, vinculis & carcere clausos
Cogis, ut exempti munera grata ferant.
Ergo tuum extractum, quia est essentia cordi,
FRÖLICHIO, solide hanc examinare cupit:
Ut sciat ut fluxos soleas tractare Planetas,
Ex illis cautus spiritum & elicere.
Tu bonus es nobis sublimi laude vehendus,
Dum das artis opus maximum, & ingenii.
FRÖLICHIO, stabili connectens fœdere, natam
JUDITHAM, quo nil ars tua majus habet.
Aspectu foveant voveo quo lumina caeli
Sponsos, influxu largifluoq; juvent.
Patris ad exemplum, chymicas cum calleat artes,
Extractis Sponsum Sponsa benigna beet.
Martis ab his pellas; tu Sol o Christe, furorem,
Atq; tua Luna lumina grata dato.
Mercurii fraudes procul & perjuriam fœda,
Hinc & nativori jurgia tetra fuges.
Vel Sole adveniat moriente vel exoriente
Sit vestro somno semper amica Venus.*

*M. David Pratorius, Civis
& Rector Caismarcensis.*

Pervi-

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"
/314.ig.j./

510

Magna quidem Veneris vis est & mirā polaris,
Quod nostri Astronomi publica scripta docent.
At Venerem majus Terrestrem robur habere,
Exemplo Sponsus comprobat ipse suo.
Namq; licet Venerem per tempora multa polarem
Tractasset, gnarā nocte dieq; manu.
Et sua navasset fidus servitia, sic ut
Vellet ea ad vitæ continuare dies;
Attamen haut poterat satiarier hujus amore
Cœptum aut officium perpetuare suum.
Ast ubi terrestris Veneris gustasset amores,
Se subito ipsius tradidit imperio.
Nec prius à cœpto potuit desistere, donec
Ducta sit in thalamum Sponsa petita suum.
Hanc ergo Venerem tracta, pie Sponse, novellas
Et pariet stellas commoda & ampla Tibi.
Vos, thalamumq;, precor, Christi benedictio salvet,
Tempus & ut Vobis dulce sit omne tori

Johannes Sowerth.

Quid prius dicam? referam Camœnâ
Vota? num contra tragico cothurno,
Nemias nunc Melpomene sonabunt,
Cynthia pleetra?
Quis modus desiderio? inter omnes
Fulgidum sidus socios vetustos,
Deserit, FROELICH, veterem cohortem,
Cypride victus!
Hinc dolet noster nimio plus Ordo,
Tam caput carum, dolor atq;, ademptum,
Seviet circa jecur ulcerosum
Non sine questu.

Sed tenet

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. : "
/314.ig.j./

*Sed tenet fors te saties Catervæ ?
Urit aut Virgo speciosa, splendens
Purius saxo Pario nitente,*

Dulcis HILARI?

*Hinc Toro Ithoræ dare colla visum:
Et Venus dum te melior reposcit,
Ignibus castis cupidus Maritus,*

Promtus en addis.

*I bonus quo Fata vocant, peropto,
Dum favet nox & Venus: i secundo
Omne: & nostra memorem Cohortis*

Sculpe querelam.

*Te DEUS servet, pietasq; nota
Sit DEO cordis, hinc tibi larga manet
Copia ad plenum bonitate rerum,*

Divite cornu.

*Vivat & tecum tua Nympha laxis
Gratie Zonis, tibi & oscula figat,
Parte qua quineta Venus auræa donet,*

Nectaris almi.

*Tandem amor junctos teneat jugalis,
Neq; divulsus gravibus querelis,
Ante vos horam cruciet supremam,*

Vota capeffo.

*M. Johannes VVindisch,
Scholæ Leuchovien. Rector.*

Non cosco fiunt certè connubia casu,
Ut fortè insanum vulgus in orbe putat;
Sed DEUS instituit socialis fœdera lecti,
Ut sacra nos primâ pagina fronte docet.
Namq; videns non esse bonum, sine compare lecti
Ut sit solus homo: Non ita vivet ait:
Ast opus est illi sociâ, sudoris acerbi
Quæ partem portet spontè feratq; gravem.

B

Hæc

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"
/314.ig.j./

Hæc ubi dicta dedit, costam de corpore Adami
 Sumit, & hæc Hevæ membra tenella creat.
 Adjutrix igitur quod dicitur Heva mariti,
 Quodq; hæc omnipotens sic DEUS ipse vocat:
 Hæc te, Sponsæ, movet sententia scilicet una,
 Vir virtute gravis, vir pietate gravis.
 Ut, fufis precibus IHV O Æ, sacra vincla jugalis,
 Constituas tecum jamq; subire tori.
 Qui imperium Veneris spernebas fortiter omne
 Hactenus, ardoris nullaq; signa dabas,
 Jungis amore tibi castam sine labe puellam,
 Quam decorat pietas, ornat & alma fides.
 Hæc aliis multis præstat pietate puellis,
 Hæcce colit castâ mente fideq; DEUM.
 Tempore jam longo, caræ post funera Matris,
 Hæc rectè patrias rexit & auxit opes.
 Ergo quod es talem nactus, bone Sponsæ, Maritam,
 Est quod agas grates, quo venit illa, DEO.
 Hæc & de causa grator Tibi, deq; corolla,
 Quæ modò sponsales ambit odora comas.
 Bellæ etiam grator Sponsæ, nova carmina dicens,
 Quod tam præstantem nacta sit illa Virum.
 Ac precor æqualem vobis DEUS afflet amorem,
 Qui semper duret mortis ad usq; diem:
 Et pylii longos concedat Nestoris annos,
 Ac vestram faciat crescere prole domum.
 Hæc intra varios, quos me scis ferre, labores
 Concepi, thalamis quæ fero vota tuis:
 Hi prohibent etiam, quod non tua gaudia possim,
 Ut vellem, præsens condecorare tori.

faciebat

Domino Affini suo observ.

Josephus Alauda Leutsch.

Schola Cibin. Rector.

Imperis

" Régi nyomtatóványok, Lőcse, evang. :"
 /314.ig.j./

Imperii Veneris quondam qui sprevit habenas,
Subdit jam mentem protinus ipse suam.
FROELICHIUS solers lustrat qui corpora cæli,
Terreni capitur deniq; amore sacro.
Hunc ergo, Alme Pater, fecundo plurimus imbri
Illacrima, ut felix capta secunda ferat.
Hæc in vota vacæ, Pater! & concede moveri,
Irrita nec venti vota precesq; ferant.

Jonas Spilenberger.
Reip. Leuchov. Apoth.

Pervigil ætherios dum contemplare subinde
Ignes, perq; poli climata mente meas:
Nil magis eximium, **FROELICHI**, rere theatro
Prorsus in hoc mundi, nobiliusq; nihil.
Et licet expertum vulgus, res & probet ipsa,
Hoc darier credis sidera nulla solo.
Ast ubi, deflexis oculis semel æthere celso,
Perlustras pictum sedulus hocce solum:
Illicò deprêndis, modò præ terrestribus atram
Æthereas umbram quaslibet esse faces.
Nam mutatio cœlestia sidera Phœbi;
Ast terrena suo lumina quæq; micant.
Illa tenent fato cursum benè semper eundem;
Nec propè, sed nobis longiùs esse solent:
Hæc contrà vario rapiuntur libera cursu,
Et propiùs nunc, nunc longiùs esse queunt.
Sensibus *illa* carent: hæc sunt quoq; prædita mente:
Hæc callent scitè farier: *illa* minùs.
Deniq; terrestres stellæ, quod olympica præstat
Nulla, sibi similes progenerare valent.
His terrenarum Facium tam dotibus amplis
Motus, **FROELICHI** nobilis Astrologè;

Nunc

" Régi nyomtatóványok, Lőcse, evang. :"
/314.ig.j./

o observ.
Leutsch.
Rector.
Imperii

Nunc ex innumeris saltem tibi deligis *unam*,
Ad contemplandum tempus in omne tuum.
Ergò capta *Tibi* feliciter, Auspice Christo,
Cedant, sincero pectoris ore precor.
Virtutum radiis nitidè tua stella coruscet,
Obscurent & eam nubila nulla *Tibi*.
Permultaq, genu cingant hanc *Plejades*, annis
A teneris discant quæ rutilare statim.

*Michaël Stanek Tesch. Sil.
Collega Casareofor.*



" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"
/314.ig.j./